

DE PIETATIS CULTU QUMRANENSI¹

II

SUMMARIUM. — Prosequendo studia circa IQS, quasi nova rammenta quaedam «notae essentiales» vitae asceticae Qumranensis proponuntur: cultus divinae voluntatis ostenditur, et de usu vitae disseritur in his quae apud Qumram votis obedientiae, paupertatis, castitatis assimilantur, unde statum veri nominis religiosum in asceterio illo viguisse censetur.

Praenotamen

Cum omnis societas monastica et amore Dei (quasi formali principio) et legibus communem vitam temperantibus (quasi fundamento materiali) constituatur, et de his et de illo — quomodo in *Regula Unionis* seu *Manuali Disciplinae*² appareant — erit agendum, ut de *vita monastica Qumranensi* quae illo Manuali regatur loqui possimus.

Sed sicut Deus amandus est omnibus semper et ubique mortalibus neque ideo cuncti monachi fiunt, ita complures societatum formae etiam religioso obtutu invectae inde a priscis temporibus et apud ethnicae gentes et in populo electo fuerunt, neque tamen qui coetibus illis adhaeserunt monachi sunt appellandi. De Deo cunctis hominibus et Judaeis et incircumcisis amando hinc disserendi locus non est³ neque omnes religiosae gentium societatum formae hinc memorandae;⁴ sed satis est cum cl. L. Rost⁵ affirmare coetus diversos et consociationes hinc inde

¹ Cfr. primum articulum nostrum sub eodem titulo publici juris factum in *Eph Carm* 9 (1958) 391-411.

² De ms. hoc nomine appellato cfr. *Eph Carm* 9 (1958) 392-393.

Humanissimus lector memoria teneat *idem* ms designari indicibus *Manuale Disciplinae* (DSD), *Regulae Unionis*, *Regulae Communitatis*, *Serek ha - Yahad* (IQS); ab hoc ms autem differt *Regula Congregationis* seu *Serek ha - Edâh* (IQS^a).

³ De hac re utiliter conferri possunt pro religione Biblica: G. QUELL - E. STAUFFER, ἀγαπάω - ἀγάπη - ἀγαπητός, *TWNT* I 20-55; pro religionibus extra Bibliam: TH. OHM, O.S.B., *Die Liebe zu Gott in den nichtchristlichen Religionen*, Freiburg i Br 1957.

⁴ Praeter librum in nota praecedenti laudatum adhiberi possunt diversi articuli ex RGG.

⁵ L. ROST, *Gruppenbildungen im Alten Testament*, in *ThLZ* 80 (1955) 1-8.

in populo electo exstitisse atque cum iis institutum Qumranense in quibusdam convenire, in multis differre. Neque usquam invenimus ante Qumrân — quoad novimus, inquam — Judaicam vitam monasticam proprie dictam. Dei quidem amor in sacra pagina officium hominum dicitur pluries⁶ isque amor est quo *religio* omnis existit quae homines Deo religat,⁷ is amor est qui e gentibus cunctis filios Israël segregat,⁸ is qui hinc inde sibi vindicat viros altiora facturos,⁹ is qui pro posse perfectus sit apud omnes vel mediis in curis vitae terrestres degentes.¹⁰ Is amor est qui Judaica re versus finem volvente specialem induit vim et eo tetendit, ut tota quorundam vita divino cultui manciparetur, non tantum ut interna rerum gerendarum intentio et sacra celebranda in Deum ferrentur, sed ut externa quoque rerum omnium ordinatio per totum vitae decursum a Deo procederet et in Ipsum dirigeretur: unde surgit *religio* stricte dicta seu *status religiosus*.¹¹

Cujus statûs et amorem Dei specialem et vitae ordinationem stabilem seu modum in communi vivendi secundum proprias ipsius societatis leges¹² — quatenus pro instituto Qumranensi in *Regula Unionis* exhibentur — paginae quae sequuntur aliquantulum saltem indagare intendunt.

I. DE « PRINCIPIO FORMALI » VITAE QUMRANENSIS

Priore jam articulo, cum de fine instituti Qumranensis ageremus,¹³ textum protulimus a quo *Regula Unionis* exordium sumit lectu pulcherrimum in quo religiosae vitae — ut ita dicam — « formale principium » compendiose evocatur, cum dicitur Deum esse quaerendum et

⁶ Si non inspicias nisi locos AT ubi vocabula אהב (*amare*) et דבק (*adhaerere*) ad Deum vel ad voluntatem divinam relata recurrunt, invenies: Ex 20,6; — Dt 4,4; 5,10; 6,2.; 7,9 (cum locis parallelis Dan 9,4 et Neh 1,5); 10,12.20; 11,1.3.22; 13, 4 sq; 19,9; 30,2.6.10.16.20; insuper aliis locis non paucis, etsi diversis sub vocabulis, eadem res patet. Cfr. S. MANDELKERN, *Veteris Testamenti Concordantiae Hebraicae*, Graz² 1955.

⁷ Cfr. S. Th. II-II, q. 81, a. 1, in corp.

⁸ Cfr. v. gr. S. MANDELKERN, *Vet. Test. Conc. Heb.*, sub vocibus כהר, כהר, סגלה.

⁹ Puta prophetas et scribas, et quosdam saltem inter iudices et reges (videsit pulcherrimum elogium *Ezechiae* 2 [4] Reg 18,6).

¹⁰ Cfr. v. gr. Dt 6,5; cit. apud Mt 22,37; Mc 12,20; Lc 10,27.

¹¹ Cfr. S. Th. II-II, q. 186, a. 1, in corp.

¹² Cfr. CJC, c. 187-188.

¹³ *Eph Carm* 9 (1958) 397-398.

amando quae elegit et respuendo quae spernit secundum revelationem per Moysen et prophetas factam in foedere caritatis.¹⁴

Hujus textûs vocabula pro tot indicibus habentes studium aggrediamur per quarundam vocum analysim non ut nova quaeque et inaudita repperiamus quae legentium animos facile percellunt — quod genus scribendi diurnariis ultro relinquimus — sed ut humili textuum meditatione attentâ quaedam saltem eorum quae de cultu pietatis cogitarunt Qumranitae penetrare possimus.

Id facientibus primum in textu supra laudato nobis occurrit vocabulum *quaerendi* קררש¹⁵ quod in toto opere novies legitur;¹⁶ ter ibi sensum uti ajunt «theologicum» non habet, ut jam e contextu (de novitiis recipiendis, de poena gravissima seu de expulsione) videre est: bis enim significat primum et alterum novitiorum *examen*,¹⁷ semel causam *judicandam*.¹⁸ Praeterea de malis et perversis proditur «eos non quaerere Deum in statutis Ejus»,¹⁹ Viri autem Qumranenses, regulam amplexi «*ut Deum quaererent*»,²⁰ hanc normam in praxim deduxerunt ita, ut «non deficeret... vir quaerens in Lege die ac nocte»,²¹ et ut «omnes vigilarent tertiam partem omnium noctium legentes in Libro et quaerentes iudicium»,²² quod non sine fructu fiebat, nam Regula supponit (et quidem ut casum haud extraordinarium) «quaerentem *invenire* verba abscondita in Israël» eique injungit, ne inventa reticeret.²³ Et quicumque Communitatem ingressi sunt, jurejurando se obligantes promiserunt

«conversionem ad Legem Moysis secundum omnia praecepta, ex toto corde et tota anima, ad omnia quae inde revelata sunt

¹⁴ Breve commentariolum huic textui adneximus *Eph Carm* 9 (1958) 398-399.
¹⁵ Cfr. etiam M. DELCOR, *Contribution à l'étude de la législation des sectaires de Damas et de Qumrân*, in *RB* 61 (1954) 537 et *RB* 62 (1955) 66-69. 73-75.

¹⁶ IQS 1,1; 5,9.11; 6,6.7.14.17; 8,12,24.

¹⁷ IQS 6, 14.17.

¹⁸ IQS 8,24.

¹⁹ IQS 5,11.

²⁰ IQS 1, 1-2.

²¹ IQS 6,6; cfr. *Eph Carm* 9 (1958) 399, notam 50.

²² IQS 6,7; cfr. *Eph Carm* 9 (1958) 400, notam 53-57.

²³ IQS 8,12; secundum versionem probabiliorum quae supponit legendum... *š haddôrêš*, al ... (ita fere omnes); WERNBERG, *Manual* p. 128, nota 39, ad IQS 8,12 in favorem hujus lectionis adducit «*š haddôrêš*» ex IQS 6,6. — MILIK in *VD* 29 (1951) 149 supponit legendum «*š haddôrêš El*, ...» quo in casu hac paragrapho injungitur contrarium, nempe «*ut vir quaerens Deum abscondat inventa*». — F. NÖTSCHER, *Zur theologischen Terminologie der Qumrân - Texte*, *BBB* 10, Bonn 1956, p. 67 ad hunc locum scribit: «Sensus IQS 8,11 sq. non patet. Forsitan hoc quoque loco de Lege investiganda fit sermo, cum אִישׁ דְּרִישׁ אֵל אִלְּיָהּ aliquid invenit quod hucusque 'absconditum erat ab Israël', quod vero in tempus futurum 'propter metum spiritûs apostatae ne abscondatur' [vel: a Deo abscondatur?]».

filiis Sadoq sacerdotibus qui custodiunt foedus et quaerunt [bonam] voluntatem Ejus»,²⁴

Textus se mutuo illustrat: *objectum* quaerendi est ipse Deus et Ejus [bona] voluntas seu beneplacitum Dei pervium nobis in Sacra Scriptura, in statutis et praeceptis et judiciis revelatis, quae nemini ad «sensum pleniorum»²⁵ nisi impense meditati intellecta conspiciuntur, ceteris autem absconsa manent. Sacra igitur pagina die noctuque meditata quasi «locus asceticus» illorum est qui non quaerunt nisi Dei voluntatem.

Hanc autem voluntatem seu beneplacitum רצון²⁶ esse quasi «objectum formale» in quod virorum cultus pietatis Qumranensium tetenderit, apparet luculenter ex ipsa Regula quae usa duodecies²⁷ vocabulo רצון hanc pulchris edictis doctrinam affirmat. Praeter locum jam memoratum²⁸ exemplo sint textus sequentes :

« qui sponte se devovent ... firmiter teneant quaecumque praecepit [Deus] secundum Suam voluntatem » ;²⁹

« qui sponte se devovent ... ut ambulent in voluntate Ejus » ;³⁰

« facere voluntatem Dei secundum omnia quae revelata sunt pro suo quoque tempore » ;³¹

²⁴ IQS 5, 8-9; cfr. Sir 2, 16 ζητησουσιν εὐδοκίαν αὐτοῦ. Textus hujus loci Hebraice non conservatur; nescimus igitur utrum (quod supponendum videtur) textus primigenius hoc loco habuerit רצון. In libris protocanonice εὐδοκία septies hanc vocem reddit; semel stat pro תרצה. Cfr. E. HATCH - H. REDPATH, *A Concordance to the Septuagint ...*, (Graz² 1954), sub voce εὐδοκία; pro Sir cfr. I. LÉVY, *The Hebrew Text of the book of Ecclesiasticus* (Semitic Study Series No. III), Leiden 1904.

²⁵ Quidquid sit de sententia eorum qui hodiernis temporibus inter sensus scripturísticos ponunt «sensum pleniorum», de quo hic nobis iudicium non est ferendum, et admissa difficultate comparandi mentem antiquorum cum recentiorum placitis, tamen nobis principia exegetica Qumranensium virorum indagantibus videtur illos 'ante letteram', uti ajunt, admisisse rem sensus plenioris docentes revelationem utique factam esse 'in manu Maysi et in manu omnium prophetarum', sed pleniorum intellectum eorum quae ut revelata ita absconsa in scriptura contineantur a Deo concedi לעת בעת (i.e. suo quoque tempore — cfr. v. gr. IQS 9,13) viris sanctis ac biblicae meditatione deditis, inter quos unus eminent ille מורה הרעק seu doctor justitiae vel justus doctor de quo non quidem in IQS, sed non raro in mss affinis est sermo. (Cfr. *Eph Carm* 9 (1958) 393-394 et notas 9-11.)

²⁶ Cfr. notam 24. WERNBERG, *Manual* p. 89, n. 6, ad 5, 1 memorat hanc vocem רצון in IQS non recurrere nisi significando *voluntatem divinam*, cum in Documento Damasceno seu Sadoqita occurreret etiam significando *voluntatem humanam* (op. cit. 2, 21; 3, 3.II.12; II, 4).

²⁷ IQS 5, 1.9.10; 8, 6; 9, 4.5.13.15.23.24; II, 17.18.

²⁸ IQS 5, 9; cfr. notas 24 et 26.

²⁹ IQS 5, 1; « qui sponte se devovent » vel « voluntarii » pro Hebraico vocabulo מתנדבים; cfr. *Eph Carm* 9 (1958) 396 et notam 36.

³⁰ IQS 5, 10; « ut ambulent »: in ms legimus להתהלך quod evidenter est mendum pro להתהלך.

³¹ IQS 9, 13; — clausula finalis « pro suo quoque tempore » alludit ad ideam de qua mentionem fecimus paullo ante in nota 25; creditur enim revelatione

«perseverare ad normam | voluntatis Ejus»;³²
 «facere Voluntatem [divinam] in omni negotio»;³³
 «[vir Qumranita] extra voluntatem Dei non delectatur [ulla re]»;³⁴

Ne istud «querere Deum» et «delectari in Deo» nimis platonicum seu mere speculativum putetur, practica adjungitur determinatio

«facere bonum et rectum coram Eo»;³⁵

Hoc *faciendi* vocabulum עשה bis jam obvium fuerat nobis, cum de voluntate Dei agentes pro norma inveniremus

«in omni negotio *faciendam esse voluntatem Dei*»;³⁶

Vicies quinquies haec vox *faciendi* in nostro ms occurrit, etsi non semper eodem sensu, nam communem bis retinet conceptum «faciendi aliquam rem»;³⁷ quinquies objectum faciendi est «malum»;³⁸ semel videtur esse allusio ad Jesajae locum de nova creatura;³⁹ ceteris locis — i. e. septies decies — cohaeret sensui supra laudato, nam voluntas Dei *facienda* in concreto propomitur ita:

«facere bonum et rectum»;⁴⁰

«facere veritatem et justitiam et iudicium, humilitatem et amorem caritatis»;⁴¹

voluntatis divinae in scriptura contineri ita, ut «sensus plenior» uniuscujusque pericopae non nisi *suo tempore* a viro quaerente intelligi possit.

³² IQS 9, 14/15.

³³ IQS 9, 23; vide notam 26. «Voluntas» absolute est voluntas Dei; sensum praegnantem reddere conamur scribendo «facere Voluntatem» (cum V majuscula).

³⁴ W. H. BROWNLEE, *The Dead Sea Manual of Discipline, Translation and Notes* (Basor Supplementary Studies 10-12), New Heaven 1951 [citabimus: BROWNLEE, *DSD*] p. 45, nota 47, ad IQS 9, 24 non negata difficultate determinandi accuratius initium Hymni finalis tamen affirmat *se pro certo habere hoc unum: textum IQS inde ab hoc versu ad genus poeticum pertinere*. — De difficultate determinandi initium Hymni finalis cfr. *Eph Carm* 9 (1958)395 et notam 19, 403 et notam 80 [ita recte; nota 19 per mendum ad notam 79 remittit].

³⁵ IQS 1, 2.

³⁶ IQS 9, 13.23; — cfr. textus supra prolatos.

³⁷ IQS 2, 19: ita facient singulis annis; IQS 8, 15: si fecerit ex inadvertentia.

³⁸ IQS 1, 7; 5, 12.12. (Bis!); 7, 5; 9, 1.

³⁹ IQS 4, 25: ועשות דרשה cfr. Jes. 43, 18: הוני עשה דרשה (ita scribitur in ms IQIs^a, DSS I, Pl. XXXVI, linea 28; in ms IQIs^b hoc loco habetur lacuna cfr. 5. לוח, ... סוקניק אוצר, א.ל.ל. Extra quaestionem vagari videtur versio cl. DEL MEDICO qui in suo opere «*Deux manuscrits hebreux de la Mer Morte*», Paris 1951, ad locum IQS 4, 25 עשות דרשה Gallice vertit «*la nouvelle Esauie*» quod esset allusio ad Rem Romanam. — Cfr. RB 59 (1952) 207.

⁴⁰ IQS 1, 2.

⁴¹ IQS 1, 5; 5, 3-4; 8, 2; 9, 15.

« facere praecepta Dei quaecumque facienda praecepit »; ⁴²
 « facere secundum ea quae pro tempore sunt revelata ». ⁴³

Ita faciendo stabiliter atque constanter — « *adhaerendo* רבך factis bonis » ⁴⁴ — vir Qumranitas pro libertatis humanae modulo adimplet legem universae creaturae :

« Quidquam non fit sine Tua voluntate ». ⁴⁵

Haec conversatio morum secundum Dei voluntatem in bonum intenta ab auctore nostri ms vocatur plerumque « ambulare perfecte ». ⁴⁶ Qui huic « perfectioni » se devovent, secundum mysterii rationem quae inter liberum arbitrium hominum minime negandum et voluntatem divinam efficacem indubie credendam intercedit (cujus mysterii viros Qumranitas fuisse conscios ex eorum scriptis apparet ⁴⁷) modo *voluntarii*, ⁴⁸ modo [a Deo] *electi* ⁴⁹ vocantur. Qui modus loquendi Christianae theologiae — hac in re, inquam — apprime cohaeret : nam etiam nos ut religiosam professionem e *libera hominis voluntate* procedentem exigimus, ⁵⁰ ita *vocationem religiosam a Deo* procedere ante omnia ponimus. ⁵¹

Itaque viri Qumranenses, qui secundum divinae voluntatis electionem ⁵² et propriae libertatis devotionem ⁵³ toto corde totâque animâ divino cultui se mancipaverunt, ⁵⁴ se ipsos Israël verum residuumque

⁴² IQS 1, 7.16-17; 5, 20.22.

⁴³ IQS 8, 15.

⁴⁴ IQS 1, 5.

⁴⁵ IQS 11, 17; — pronomen « tua » ad Deum refertur qui in hymno finali alloquitur.

⁴⁶ 1, 8; 2, 2; 3, 9; 8, 18*.21*; 9, 6*.8*.9*.19; — locis asterisco notatis pro « ambulare perfecte » legitur « ambulare viâ perfectâ » quod idem significat. — De notione « perfectionis » quae apud Qumranitas vigerit plura habet P. J. DU PLESSIS in sua dissertatione quae inscribitur ΤΕΛΕΙΟΣ. *The Idea of Perfection in the New Testament*, Kampen [1959], p.p 104-115.

⁴⁷ Cfr. v. gr. totam sectionem IQS 3, 13-4, 26; de eadem re agit cl. F. NÖTSCHER, *Gottswege und Menschenwege in der Bibel und in Qumran*, BBB 15 (Bonn 1958), in sectione B II 3 d (« Allwirksamkeit Gottes und menschliche Leistung ») pp. 84-87.

⁴⁸ IQS 1, 7.11; מתרבים IQS 5, 1.6.8.10.21.22; 6, 13; נרבה (nomen substantivum, « voluntarietas ») IQS 9, 5.24.

⁴⁹ IQS 4, 22; 8, 6; 9, 14; 11, 7.16.

⁵⁰ Cfr. CJC c. 542, 1² et c. 572, 4².

⁵¹ Cfr. doctrinam Pii Pp. XII de hac re.

⁵² Cfr. pulchram expressionem IQS 8, 6: בהירי רצון i.e. « electi voluntatis [divinae] »; — de electione videsis notam 49, de divina voluntate notas 24 et 26,

⁵³ Cfr. notam 48 (de nomenclatione « voluntarietatis »).

⁵⁴ Ratio illius « ex toto » se cultui divino devoventi pellucide apparet ex usu vocabuli כול (omnis, universus, totus...) quod, inter omnes manuscripti voces longe frequentissimum, non minus quam centies octogies novies occurrit, nisi in calculos meos error irrepsit, nam H. BRAUN, *Spätjüdisch-häretischer und früh-*

sanctum rati⁵⁵ quibus pacta Sinaitica pleno jure convenirent, propriam vitae rationem ac modum jurejurando firmatum⁵⁶ conceperunt ita, ut suo instituto antonomastice ponerent *foederis* nomen. Quae vox כְּרִית tricies bis in ms occurrens⁵⁷ praeter usum absolutum (nomen cum solo articulo vel cum pronomine demonstrativo) variis copulatur vocabulis⁵⁸ et ibi praesertim usurpatur, ubi de initiamenti fit sermo.⁵⁹ Qui initiandi ritus describuntur plerumque phrasibus binis « *intrare in foedus* »⁶⁰ et « *transire in foedus* ».⁶¹ Ratio vivendi secundum normas instituti in nostro ms ex indole linguae Hebraicae vocatur « *viae foederis hujus* », ⁶² generice autem sermo fit saepius de « *viis perfectis* » seu de

christlicher Radikalismus, Erster Band: Das Spätjudentum, (Tübingen 1957) p. 28, nota 2, scribit se vocem כָּל in hoc ms legisse *centies nonagies bis*. Cfr. elenchum ad rem nostram pertinentem, quem auctor laudatus exhibet ibidem. — Hoc « totalitatis » vocabulum (propitiis auribus tuis, amicissime lector, cupio *totalitatem* dicere, ne puritati studens paupertate sermonis laborem), etsi non raro secundum communem et ordinarium legitur usum — v. gr. « omnes qui hoc foedus ineunt... » IQS 2, 18 — saepissime tamen ad sensum usurpatur quem fere *asceticum* dixerim: et *oto corde facere cuncta* praecepta secundum *omnem* voluntatem Dei juxta *universa* quae revelata sunt.

Opus supra laudatum in posterum citabimus: BRAUN, *Radikalismus I*

⁵⁵ IQS 2, 22; 5, 5-6.22; — WERNBERG, *Manual* p. 56, n. 54, ad IQS 2, 22 et p. 93, n. 25, ad IQS 5, 5-6; — BROWNLEE, *DSD* p. 18 (versio Anglica IQS 5, 5-6) et p. 22, n. 52, ad IQS 5, 22; — A. VÖGTLE, *Das öffentliche Wirken Jesu auf dem Hintergrund der Qumranbewegung*. (Freiburger Universitätsreden, NF 27), Freiburg i Br. 1958, p. 10.

⁵⁶ IQS 5, 7-11; — cfr. *Eph Carm* 9 (1958) 409 et 411 (sub littera « e »); — Notissimus est Flavii Josephi locus de jurejurando Essenorum in opere ejus est index *De bello Judaico* II, VIII 7 § 139-142 (ed. Niese Berlin² 1955) vol. VI p. 180-181. Ratio quae inter hunc Josephi locum et IQS 5, 7-11 intercedit hinc nec examinatur nec solvitur; pertinet enim ad quaestionem complexam de Essenis et Qumranitis mutuo comparandis quae nisi in tractatione particulari objectum dicendi esse non potest.

⁵⁷ IQS 1, 8.16.18.20.24; 2, 10.12.13.16.18; 3, 11/12; 4, 22; 5, 2.3.5/6.8.9.9.10.11.12.19.20.22.22; 6, 15.10; 8, 9.10. 16; 10, 10; — De usu vocis כְּרִית (*foedus*) in sensu *professionis religiosae* videsis notam 131.

⁵⁸ En quaedam exempla:

foedus Dei: 5, 8; 10, 10; — ambobus locis agitur de viro qui nomen dat

Instituto quod utrobique dicitur formulâ « *intrare in foedus Dei* »;

foedus caritatis: 1, 8; — cfr. *Eph Carm* 9 (1958) 398 et notam 45;

foedus aeternum: 4, 22; 5, 5/6; — simili ratione dicitur 3, 11/12 « *foedus unionis aeternae* »;

foedus unionis: 8, 16 — hoc loco legitur curiosa aequatio inter « *omnes viros ex viris unionis* » et « *foedus unionis* »;

foedus iudicii: 8, 9;

foedus sacerdotum: 5, 9 et 6, 19 — utrobique legitur « *multitudo virorum foederis eorum* » ubi pronomem « *eorum* » e contextu ad *sacerdotes* refertur de quibus insuper 5, 9 affirmatur explicite *eos custodire foedus*.

⁵⁹ I.e. IQS col. 1-2 et col. 5.

⁶⁰ כְּרִית כְּרִית 2, 11.18; 5, 8.20; 6, 15; 10, 10.

⁶¹ כְּרִית כְּרִית 1, 16.18.20.24; 2, 10.

⁶² IQS 2, 13.

« perfectione viarum », et de « perfectis in via »⁶³ qui *sistunt*,⁶⁴ *servant*,⁶⁵ *tenent*⁶⁶ foedus. Qui vero duplici corde et insincere foedus ineunt vel obtrectant foederi fiunt obnoxii *maledictionibus foederis*⁶⁷ et vindici irae.⁶⁸

Si elementa praedictis in notulis sparsa in unum colligere atque summam eorum conficere quodammodo intendimus, nobis — etsi hac in re cautis, ne praepredicatis opinionibus ducti viros Qumranitas plus aequo Christianis monachis aequiperemus — dicendum videtur in Qumranitica regula notas inveniri sine dubio quae statûs religiosi vim propriam atque naturam prae se ferunt. Notandum tamen in nostro studio non agi de unitate monasticae vitae Judaicae simul et Christianae, nec de historica monachismi evolutione, nec de impulsu quem altera in alteram (dico Judaica in Christianam) forsân exercuerit partem — quae omnia non 'internis' quae dicuntur litterarum criteriis, sed positivis argumentis historica methodo in alia sede sunt examinanda — at agitur de Qumranensibus viris sibimet ipsis, ut ita dicam, comparatis: num et quo sensu veri nominis monachi sunt appellandi.

Quae hucusque dicta fuerunt virorum Qumranensium nobis ostendunt amorem Dei et divinae voluntatis implendae studium haud ordinarium vulgaremque modulum qui apud 'hujus saeculi' homines vigere consuevit plane excedens; ostendunt electionem divinam ac electorum voluntariam vocationi adhaesionem; ostendunt pactum et foedus jurejurando stabilitum cui firmiter adhaerentes voluntarii se obligant ita, ut qui a promissis recedunt culpae se noxâ obstringant atque aeterno reatu. Quae cum ita sint, « formale elementum » religiosi statûs seu vitae monasticae in Regula Unionis suo modo indicari affirmandum esse incunctanter censemus.

II. DE « MATERIALI ELEMENTO » VITAE QUMRANENSIS

« Elementi materialis » vocabulo, cum de hac re in praenotamine scriberemus, ea omnia insigniri voluimus quibus religiosi statûs vita prac-

⁶³ IQS I, 13; 2, 2; 4, 22; 8, 10.18.21.25; 9, 2.5.9; 10, 21; II, 2.11.17; — cfr. F. NÖRSCHER, *Menschenwege* ... [vide notam 47] p. 80 et 83-84.

⁶⁴ IQS 5, 10.21/22; 8, 10.

⁶⁵ IQS 5, 2.9; — de sacerdotibus dicitur.

⁶⁶ IQS 5, 3.

⁶⁷ IQS 2, 16; 5, 12.

⁶⁸ Cfr. IQS 2, 4-10 (imprecatio contra pravos in genere) et 2, 11-17 (contra illos qui Communitatem ingrediuntur insincere ac fraudulenter). — De re imprecatoria diximus pauca *Eph Carm* 9 (1958) 410 sub littera « c » et in nota 142.

tice temperatur. Sub hoc igitur titulo agendum nobis esset de legibus ac statutis quibus Qumranensis communitas moderatur: de vita singularum, de admissione, de regimine atque de ceteris. Antequam autem ad singula descendimus — quod hisce in paginis est longum praebere et futuro tempori debet relinqui — tria puncta nobis examinanda proposuimus quae ad religiosi statûs essentiam pertinere videntur, ita ut quibusdam forte melius placuerit ea sub indice «formalis elementi» poni, sed quae huc traximus quasi primordia legum monasticae vitae: oboedientiam, inquam, renuntiationem bonorum et caelibem vitam.⁶⁹

1. De oboedientia cum in religiosis communitatibus sermo fit, ea haud raro adspicitur una atque profertur, qua religiosus vir antistiti paret atque propter Deum homo homini subditur; quod quidem falsum erroremque plane non est, quandoquidem pars in hoc oboediendi negotio haud modica praecise in eo est, ut alius regatur alius imperio. Ideoque mirum non est quod plures periti scribes de illa quae apud Qumrân vigerit oboediendi praxi ex hac ratione procedunt potissime, ut ostendant quomodo quisque Qumranita sub dominio «proximi» loco prioris ordineque potioris fuerit constitutus.⁷⁰

a) Hac in re solent proferri qui sequuntur loci:

5, 23: «Et oboedire debent omnes, unus alteri, minor majori».⁷¹

⁶⁹ In paragraphis quae sequuntur neque exscripsimus (ut quidam forsitan putaverint) ea quae hac de re G. BRISEBOIS, O.F.M., in articulo cui est titulus «De momento Regulae Unionis ad originem vitae religiosae», in *Antonianum* 34 (1959) 3-31 concinne exposuerat [cfr. ibidem pp. 18-23], neque quidquam polemice quasi huic respondendo asserimus, cum nostra jam antea concepissemus quam de studio supra laudato certiores facti articulum potuimus videre.

⁷⁰ CL. A. DUPONT-SOMMER, *Nouveaux aperçus sur les Manuscrits de la Mer Morte*, in *L'orient illustré* 5 (Paris 1953) p. 131 ideam exprimit ita: «En vertu d'une hiérarchie minutieusement fixée, chacun doit une stricte obéissance à celui que le numéro d'ordre désigne comme son ancien ou son supérieur; mais ce supérieur doit lui-même obéissance à ceux qui sont inscrits avant lui. Quiconque a refusé d'obéir à l'ordre de son prochain inscrit avant lui» est sévèrement puni. [Sublineavimus nos.] — Praeterea cl. auctor Flavii Josephi, *De bello Judaico* II, VIII 6 § 134 et II, VIII 9 § 146, (ed. Niese Berlin² 1955, vol. VI, pp. 179 et 182) ubi de Essenis loquendo rerum scriptor Judaicus narrat: οὐκ ἔστιν ὁ τι μὴ τῶν ἐπιμελητῶν προσταξάντων ἐνεργούσιν, δύο δὲ ταῦτα παρ' αὐτοῖς αὐτεξουσία, ἐπικουρία καὶ ἔλεος· τὰς δὲ εἰς τοὺς συγγενεῖς μεταδόσεις οὐκ ἔξεστι ποιεῖσθαι διχὰ τῶν ἐπιτρόπων [§ 134]. Τοῖς δὲ πρεσβυτέροις ὑπακούουσιν καὶ τοῖς πλείοσιν ἐν καλῶ· δέκα γοῦν συγκαθεζομένων οὐκ ἂν ἀλλήσιν ἐν τις ἀκόντων τῶν ἐννέα [§ 146]. — Quidquid sit de ratione inter Essenos et Qumranitas (vide notam 56), plura sunt in locis supra prolatis e Flavio historiographo quae Qumranitis quoque conveniunt.

⁷¹ Cum J. T. MILIK, cujus versionem supra e VD 29 (1951) 144 protulimus, interpretes fere omnes consentiunt cum vocem *ἑκαστῷ* pro forma *Nifal* intelli-

6, 1-4: « In his ambulent ⁷² in omnibus domiciliis ⁷³ suis ... ⁷⁴ vir cum proximo suo: minor oboediat majori, ⁷⁵ quoad laborem et pecuniam. Et in communi comedant, et in communi benedicant, et ⁷⁶ in communi consulant. In omni loco ubi sunt viri decem e consilio communitatis, ne defecerit inter illos vir sacerdos ⁷⁷ et unus quisque sedeat determinato loco ⁷⁸ coram eo [i.e. coram sacerdote] ».

6, 25-27: quae sectio ad « codicem poenaliu legum » hujus Regulae pertinet, paragraphum continet quae poenas decernit contra Qumranensem « monachum » qui durius « in ira » vel « in rebellionem » respondere non veretur « contra proximum suum loco priorem ». ⁷⁹

7, 16-17: in eodem codice poenaliu legum, contra illos qui calumniando vel murmurando circumeunt decernitur *dimissionis* seu

gunt quae « oboedire » significat. E contrario cl. SCHUBERT et MOLIN hanc vocem pro forma *Hifil* interpretati vertunt « audire faciant », quae tamen versio, hoc in contextu, sensu carere videtur quod optime perspicuus cl. MOLIN, suae versionis, ut exprimeret dubium, addidit signum interrogationis [«? »] in suo opere *Die Söhne des Lichtes* p. 25.

⁷² יתהלכו יתהלכו, i.e. secundum statuta quae in sequentibus exponuntur debent « procedere » seu agere in omni re. — Linea secunda incipit voce יתהלכו.

⁷³ מנווידים; — WERNBERG, *Manual* p. 101, n. 4, ad hunc locum memorat hoc vocabulum non necessario connotare conceptum *exilii*; vi enim propriae radicis נוויד conceptum *habitandi* simpliciter exprimi posse. — Forsitan ad mentem et animum Qumranensium virorum *ambo conceptus* quodammodo in unum conflandi sunt, quasi hoc vocabulo usi evocare voluerint hanc duplicem connotationem, ita ut locus, ubi illis habitare contigerit, simul domicilium exiliumque vocaretur. Quid simile a semasiologiae peritis affirmatur de primigenio usu Christiano vocis παραοικία (paroecia).

⁷⁴ Puncta stant pro discussis vocabulis כול הנמצא quae a plerisque convertuntur « *omnis qui [ibi] invenitur* », ut sensus pericopae intelligatur ita: « In quocumque demum domicilio monachus Qumranita invenitur [i.e. commoratur, habitat] cum [altero saltem] confratre suo, [ibi semper] oboediat minor majori ». — G. MOLIN, *Söhne des Lichtes* p. 26 huic versioni addit signum dubii [«? »]; WERNBERG, *Manual* p. 29 suâ versione Anglicâ ab hac interpretatione recedit et p. 101, n. 5 ad IQS 6, 2 lectorem remittit ad eadem verba in IQS 9, 20 ubi e contextu putat esse vertendum « *omnia quae inventa sunt* », nam agitur ibi de instructore qui ceteros « doceat, secundum *omnia quae inventa sunt ut fierent* pro illo tempore ». Ideoque cl. auctor etiam IQS 6, 2 hanc versionem praefereendam putat et incisum כול הנמצא non ad monachos sed ad normas et statuta refert atque ita fere vertit: « *In his [regulis] ambulat in exiliis [vel: domiciliis] suis, [secundum] omnia [statuta] quae inventa sunt...* ».

⁷⁵ Ad pedem litterae: *parvus magno*; — intellige loco *potiorem* (qui forsitan est etiam natu maior, sed aetas uti talis in hoc textu non intenditur).

⁷⁶ Incipit linea tertia.

⁷⁷ Incipit linea quarta.

⁷⁸ Ordo sedium, de quo saepius in hoc ms, auctoritatem hieraticam indicat et dignitatem gradus.

⁷⁹ Ad pedem litterae: « *contra proximum suum qui inscriptus est ante eum* ». — Etsi non omnia in hac paragrapho tam perspicua sunt, ut omnis disputatio evitetur, tamen sensus genericus evidens est: inculcatur subjectio erga virum [«proximum»] altiore gradu constitutum. — De his quae disputationibus

*expulsionis*⁸⁰ poena gravissima, si eorum obtrectatio vertitur in *generale concilium*⁸¹ vel in *fundamentum Unionis*.⁸²

Quomodocumque demum רבים hoc loco interpretantur et quidquid denique sit de praecisa versione vocum יסוד יהוד, crimen de quo agitur et quod severissimâ plectitur « dimissionis ab Ordine » poenâ nihil aliud

obnoxia sunt videsis WERNBERG, *Manual* p. 31 (versio) et p. 112, notas 81-83 ad hunc locum, et BROWNLEE, DSD p. 26 (versionem) et p. 27, notas 53-57.

⁸⁰ Quae voces supra prolatae nobis magis arident quam *excommunicationis* vocabulum quod tamen pluribus placet qui hunc locum interpretati sunt atque ceteros locos ubi eadem poena statuatur.

⁸¹ רבים; haec vox difficulter Latine convertitur. Cfr. ea quae de hoc vocabulo scripsimus *Eph Carm* 9 (1958) 400, nota 53. — Hic e contextu convertimus *generale concilium*, cum postea sequatur paragraphus quae statuit poenam multo minorem contra illos quorum obtrectatio in singula membra vertitur; ex quo colligimus vocabulum רבים indicare hoc loco non *singulos Grandes* (« *divisive sumptum* » — iratis dicam auribus eorum qui puri sermonis sunt amatores), sed *Grandium coetum universum* seu *concilium* quasi auctoritatem supremam Unionis. — Cfr. G. GRAYSTONE, *The Dead Sea Scrolls and the Originality of Christ*, London 1956, p. 20, ubi cl. auctor רבים vertit « the assembly of the Great »; ita etiam SH. E. JOHNSON, *The Dead Sea Manual of Discipline and the Jerusalem Church of Acts*, in *Zaw* 66 (1954) 112, ubi comparat רבים cum τὸ πλεῖστον (act. 6, 2, 5; 15, 12, 30; 4, 32 [?]) et itidem vertit « the assembly ». Concordat K. SCHUBERT, *Die jüdischen und judenchristlichen Sekten im Lichte des Handschriftenfundes von En Fešha* in *ZKTH* 74 (1952) 12, ubi proponitur versio « die Vollversammlung ». Cfr. de hac re etiam P. GUILBERT, *Le plan de la Règle de la Communauté* in *RQ* 1 (1958/59) 331, praesertim in nota 13, ubi cl. auctor litem de versione hujus vocis adhuc esse sub iudice dicit, sed affirmat pro certo coetum רבים esse *concilium, conventum, comitium eorum qui pleno jure Communitatis sunt membra* (exceptis igitur *postulantibus, novitiis ac poenitentibus* « *loco privatis* »). — Longum est omnes proferre auctores qui de modo meliore hanc vocem vertendi suis in studiis disserunt, ideoque supra dicta sufficiant.

⁸² על יסוד יהוד; — en varia versionum tentamina: BROWNLEE, DSD p. 30 « the institution of the Community »; in nota 43 (p. 31) remittit ad 1QS 7, 18; 8, 5.10²; 9, 3; WERNBERG, *Manual* p. 32 aliter vertit: « the Congregation of the community », cujus versionis fundamentum est ab ipso proposita emendatio conjecturalis hujus textus, ut legatur *סוד* sed *סוד*. Ceterae versiones mihi notae plus minusve cohaerent inter se et cum BROWNLEE: BOCCACCIO-BERARDI, *Regula...* (ad locum): « fundamentum Unionis »; MOLIN, *Söhne des Lichtes* p. 28: « Grundlage der Gemeinde »; VERMÈS, *ms* p. 148 « L'autorité de la communauté »; BURROWS, *Schriftrollen* p. 318: « die Einrichtung der Gemeinde »; P. GUILBERT, *Le plan de la Règle de la Communauté*, in *RQ* 1 (1958/59) 333, etsi hujus loci verba non affert, ad eundem locum alludere videtur cum (loquendo de sectione 1QS 7, 15^b-25) dicit « murmures contre... le Règlement ». — « *Fundamentum Unionis* » comparari potest cum verbis nostrarum Constitutionum, ubi de oboedientia dicitur eam esse « *totius monasticæ disciplinae basis* ». Sensus utrobique, si non prorsus idem, similis certe apparet.

De oboedientia loquendo proferre potuerimus insuper locos, etsi minus perspicuos, 1QS 5, 2 et 6, 11 ad quos WERNBERG, *Manual* p. 90, nota 12 scribit « sensus sententiae [5, 2] est *singula Communitatis membra a beneplacito vel sacerdotum vel universae congregationis dissentire vetari*; quaestiones sive legales sive exegeticas secundum regulas communitatis esse solvendas; his etiam cohaerere quod 6, 11 statuatur in sessione plenaria quemquam contra beneplacitum communitatis ullum verbum dicere non debere.

videtur esse nisi *rebellio* et *insubordinatio* quam ajunt, id est inordinatissimus in religioso viro animi status quo quis supremam auctoritatem agnoscere atque vereri suique Instituti regulis parere atque subjectus esse detrectat.

De oboedientia, certe, quae hucusque contulimus permulta non sunt neque in unum caput redacta, sed per ms sparsa; tamen, qui orientarium legum digesta novit plura non volet neque exspectabit quasi titulum « De oboedientia » in antiquo codice inveniendum, sed prolatis quattuor legum formulis erit contentus, quarum duae rem statuunt, duae sanciant poenis.

b) Attamen oboedientia, cum in religiosis viris devotio sit voluntatis oporteat — voluntatis, inquam, accipientis ea quae non proprio arbitrio sed aliunde statuuntur propter Deum — non tantum complectitur ea quae vivae vocis oraculo jubentur a viro qui potiore positus loco praecipienda jus habet atque officium, sed etiam sese extendit ad illa omnia quae vel a Deo vel Dei causa praescripta habentur, uti sunt cum regulae Communitatis inito foedere observandae, tum leges quaecumque revelatae traduntur in pagina sacra. Ideoque ad *spiritum oboedientiae* pertinet, tam apud Qumrân quam ubique, perfecta statutorum observantia, et eorum quibus religiosa societas regitur et eorum quae 'in manu Moysi et in manu omnium prophetarum' revelatae pro tempore a « quaerentibus » intellecta conspiciuntur.

Scrutanti sub hac ratione ms vocabula obviam fiunt non pauca quae modo Mosaicas Leges olim revelatas modo statuta Qumranensia illis accedentia extollunt et unâ simul observantiam quae et his et illis debetur inculcant. Neque intendimus ea omnia quae hoc sub respectu Manualis nomenclatio affert exertius hîc ponderare, cum et multa sint et non semel recusent quominus dijudicentur facili lance.

Quaedam nihilominus dicenda manent ex ipsa nomenclationis frequentia unde conceptus quos quaerimus lumen accipiunt.

Frequentissimum inter vocabula quae ad hanc *statutorum et regularum* rationem accedunt quinquages ter in IQS invenitur מִשְׁפֵּט quod Latine conversum *judicium* sonat, sed pro contextu, quem vocant, variam induit atque multiplicem vim, nam praeter *actionem judicalem* ⁸³

⁸³ Hoc sensu forsitan intelligantur *judicia Dei* (1SQ 3, 5; 4, 2-3) et *judicium constitutum* (1QS 4, 20) ubi vis vocabuli transit in significandam *punitionem*; similiter mali « operantur iram in iudicium » i. e. operantur ita, ut exardescat ira Dei unde iudicio et punitione divina plectentur.

(unde et 'defensionem' et 'punionem') atque *sententiam*⁸⁴ saepe significat — quod nostrā interest — *legem, regulam, normam*;⁸⁵ ideoque non semel connotat rectum (vel raro etiam pravum) *cogitandi procedendique modum*,⁸⁶ quin etiam locis compluribus fere convertitur voce *justitiae*.⁸⁷ Tamen hujus Regulae loci, quamquam in illis attento lectori ob oculos ponitur significationum transitus a legibus et statutis ad veritatem et justitiam, «*legalismum*» a recta ratione aberrantem non profitentur, sed opinionem inculcant atque sententiam quae certe cohaerent cum illa locutione facete dicta quae in Catholicae Ecclesiae asceteriis non infrequenter auditur atque ab aliis alii Papae, quasi primus dixerit, adscribitur: religiosum virum qui Instituti sui regulas fideliter ad apicem servaverit in sanctorum numero posse censi. Eandem statutorum aestimationem prodit usus vocum ceterarum quae ad vitam 'regularem' attinent, ut sunt חוק,⁸⁸ תורה,⁸⁹ מדרש,⁹⁰ מצוה,⁹¹ צוה⁹² quae vocabula hoc in ms leguntur non raro vel bina vel terna conjuncta.

Statuta autem sive leges et praescripta quae hisce vocibus ornantur laude vel ipsius *Dei* esse dicuntur⁹³ vel *Moysis* legislatoris⁹⁴ atque *prophetarum* qui Moysen optime interpretati sunt⁹⁵ vel *regulas* respi-

⁸⁴ V. gr. IQS 7, 25.

⁸⁵ Cfr. IQS 2, 15; 3, 1; 4, 4; 5, 3.16; 6, 7.9.15 [כול משפטי יחד]. 22.23.24; 7, 21 [fere: modus cogitandi = opinio]; 8, 19.20.24; 9, 7.10 [«judicia priora», fere: *regula primitiva*]. 15. [«facere justitiam suam», fere: *observare regulam suam*]. 25; 10, 7.9.16.18.

⁸⁶ Cfr. locos in nota praecedenti prolatos; hae significationum species facili transitu sunt; — *pravus* cogitandi modus connotatur 4, 18 ubi «judicia eorum» se refert ad oppositas mutuo rationes «spiritus boni» et «spiritus mali» de quibus in tota illa sectione agitur.

⁸⁷ Cfr. IQS 1, 5.26; 5, 4; 7, 4.8.18 [«sine mišpāt»] fere: *non sicut oportet*; 8, 2.3.6.9.; 9, 5.17; 10, 11.20.25; 11, 2.5.10.12.14.

⁸⁸ חוק (statutum) legitur vicis: IQS 1, 7.12.15; 3, 8; 5, 7.7.11.20.22; 8, 10; 9, 12.14.23; 10, 1.6.6.8.10.11.26.

⁸⁹ תורה (tôrâh, lex) non semper neque exclusive Legem Moysis significat; aliquando possit Latine converti «doctrina», saepissime sensus «Qumranicus» hujus vocabuli optime redditur voce Germanica *Weisung* (ita cl. M. BUBER in sua versione Germanica Antiqui Testamenti vertit תורה). In IQS legitur terdecies: 5, 2.3.8.16.21; 6, 6.18.22; 8, 2.15.22; 9, 9.17.

⁹⁰ Cfr. notam 15; in IQS non nisi ter: 6, 24; 8, 15.26.

⁹¹ Nomen substantivum מצוה (derivatum a verbo צוה, vide notam sequentem) jam in AT fere semper significat mandatum vel praeceptum *Dei*; in IQS non nisi semel: 8, 17.

⁹² צוה: praecipere, mandare; in IQS octies: 1, 3.17; 3, 10; 5, 1.8.22; 8, 15.21; 9, 15.24.25.

⁹³ Statuta ipsius *Dei*: 1. חוק: IQS 1, 7.12.15; 3, 8; 5, 11.22; 9, 23 [in parallelismo cum לעשות רצון 10, 1.6 [lex naturae]. 10. — 2. צוה: 1, 17; 3, 10; 5, 1 [additur רצוני]. 22; 8, 21; 9, 15 [additur רצוני]. 24.25 [utroque loco in parallelismo cum לעשות רצון]; — 3. תורה: 5, 21; 6, 6.18; 8, 1.15 [מדרש התורה].

⁹⁴ Statuta et lex *Moysis*: 1. צוה: 1, 3; 8, 15; 2. תורה: 5, 9; 8, 22.

⁹⁵ Statuta «in manu prophetarum»: 1, 3; 8, 16; 9, 11.

ciunt apud Qumrân vigentes.⁹⁶ Quodsi ita distinximus leges et statuta de quibus in IQS sermo fit, ut earum quasi discrimina e diverso 'fonte essendi' (legis peritorum utor vocabulo) apparerent, neque tamen, humanissime lector, proinde credideris apud Qumrân in monastico coetu pro diverso fonte legum servandarum talem viguisse in diversa genera distinctionem quae 'essentialis' dici posset et vitae praxim influeret. Ipsa enim Regula diserte contrarium docet, nam et in locis, ubi «distinctio fontium» in ipse textu apparet, hi «fontes diversi» ita inter se confluunt atque cohaerent, ut eorum unitas 'essentialis' quae dicitur facile perspici possit, et multis in locis statuta in genere 'per modum unius' nominantur, ut omne distinguendi conamen impossibile evadat.⁹⁷ Si propria scholae adhibere vocabula liceat, dixerim apud Qumrân materialem quidem viguisse statutorum differentiam, at omnia statuta servata fuisse sub una eademque ratione formali, quae concise exprimitur voce רצון.⁹⁸

His lectis quidam forte aestimaverint ab eo nos in quod oratio tenderit proposito disserendi de «monastica» Qumranitarum oboedientia deflexisse, cum ea congessissemus quae sat generice ad leges et statuta spectant; quod tamen verum non est, nam haec indagatio nobis emolumentum praestitit duplex, ut et «ex parte materiali» totam *amplitudinem* oboediendi monstraret et «e ratione formali» oboediendi fundamentum in his *unum* ostenderet.

Quibus omnibus consideratis sat clare apparet apud Qumrân fuisse ea omnia quae religiosam veri nominis oboedientiam constituunt: vitam, inquam, stabilem quae (1) esset regulis subjecta tota, quae (2) sub ductu superiorum regeretur, quae (3) e motivo supernaturali procedat.

2. De *paupertate* virorum Qumranensi coetui adhaerentium discursuro primum e IQS mihi obvium venit vocabulum רוון⁹⁹ quo vicies bis significantur in hoc ms *pecuniariae opes*. Quae ibi de eis enuntiantur nobis sufficiunt, ut voluntariae «paupertatis» et *rem* perspectam habea-

⁹⁶ Statuta = Regula Qumranensis: 1. חוק: 5, 7.20; 9, 12; 2. משפט: 6, 24 [additur «היחיד» i.e. «Unionis»]; 3. משפט: 6, 15.23.24; 9, 10 [«regula primitiva»]. 15 [«observare regulam»].

⁹⁷ Statuta in genere sine distinctione: — 1. חוק: 5, 7; 8, 10; 9, 14; 10, 6.8.11 [זוק חרות]; — 2. מרש: 8, 15; — 3. מצוה: 8, 17; — 4. תורה: 9, 9.17.

⁹⁸ Cfr. quae supra p. 000, nota 27-34 de hoc vocabulo diximus; hic denuo ii memorandi sunt loci, ubi viget parallelismus inter conceptus צוה et רצון v. gr. 5, 1; 9, 15. 23/24.25; Aliis locis, etsi ipsae voces non recurrunt, conceptus sunt iidem.

⁹⁹ רוון = pecunia; IQS 1, 12, 13; 3, 2; 5, 2.3.14.16.20; 6, 17.19.22.25; 7, 6.25; 8, 23; 9, 7.8.8.8.22; 10, 19; 11, 2; E contra «mammon» ad significandas pecunias non legitur nisi semel IQS 6, 2: למלאכה ולמחן.

mus et *rationem* indagare possimus. De utraque igitur erit in his quae sequuntur dicendum.

a) Singula Communitatis membra bonis omnibus reapse renuntiavisse, bona omnia quibus vitae necessitates sustentarentur — exclusâ quacumque possessione privatâ, excluso quocumque peculio — in communi (sive per consilium opibus administrandis sive per sumptibus coërcendis dispensatorem) esse curata e textibus elucet tam certo, ut hac de re quaestio moveatur paene a nemine.

Jam in illa Regulae parte quae jure merito prooemium sive prologus dici potuerit legimus :

I, II-13 : « Et omnes qui sponte se devovent veritati Ejus¹⁰⁰ *adducant*¹⁰¹ in *Unionem Dei*¹⁰² omnem scientiam suam, et omnes vires suas, et *omnem pecuniam suam*,¹⁰³ ad purificandum scientiam suam in veritate¹⁰⁴ statutorum Dei, ad ordinandum¹⁰⁵ et vires suas secundum perfectionem viarum Ejus¹⁰⁶ et omnem pecuniam suam in consilio [concilio] justitiae Ejus ».¹⁰⁷

¹⁰⁰ אָמְרוּ ; suffixum possessivum tertiae personae sg (« Ejus ») hîc et in sequentibus — id quod saepissime in ms ita est — significat *Deum*. Ceteroquin Hebraica vox אָמַר in alias linguas non facile vertitur, cum conceptus Hebraicae vocis multo latius patet quam similitum vocabulorum quae praesto sunt in aliis linguis : connotat enim et veritatem et fidelitatem, atque si respicit Deum (quod frequentissime accidit) specialem induit vim significandi nescio quid divinae naturae (fere dixerim « un no sé qué que quedan balbuciendo »).

¹⁰¹ יְבִיאוּ ; sequimur DSS II/2 ubi cî. M. BURROWS textum ms lucis ope impressum typis recentioribus ita transcribit ; quem sequuntur versiones pleraeque ; dissentit WERNBERG, *Manual* pp. [22] et [40] qui legendum putat יְבִיאוּ — tamen etiam apud illum sensus enuntiati mutato stilo non mutatur.

¹⁰² *Yahad El* ; videtur agi de nomine proprio quo institutum Qumranense appellatum est — mihi textum transcribenti alius instituti venit in mentem cujus nomen, huic nomini juxtapositum, conformatum apparet : *Unio Dei* — *Societas Jesu*.

¹⁰³ רוּיָם ; incipit linea duodecima. Intellige vocabulum sensu Hebraico : *pecunia, opes, divitiae* (Aramaice transit in sensum *facultatis* cujuscumque).

¹⁰⁴ אָמַר ; cfr. notam 100. — MILIK, VD 29 (1951) 136 vertit « *juxta fidelitatem erga statuta Dei* » quod minus placet (cfr. tamen notam 107). Ceterae versiones mihi notae stilo quidem ac sermone inter se differunt, sed eosdem exprimunt sensus quos supra rettulimus.

¹⁰⁵ לְרַחֵן . — Nec minores versionum differentias in reddenda hac voce sigillatim enumerare nec constructionem grammaticalem aliquantulum miram hîc enucleare juvat, praesertim cum sensus pericopae vix inde tangatur.

¹⁰⁶ כְּתָם ; incipit linea decima tertia.

¹⁰⁷ Aequabilis ratio inter :

(a) « *veritatem statutorum Dei* »

(b) « *perfectionem viarum Ejus* »

(c) « *consilium justitiae Ejus* »

sensum similem cujusque membri suadet. Ideoque versiones mihi notae totum enuntiatum ita intelligunt, ut *norma* ad « *rectificandum* » et scientiam et vires et opes in singulis incisus proposita semper sit quoddam « *attributum divinum* » :

(a) scientia hominis rectificetur ad normam *veritatis Dei* ;

Regulae auctor usus prudentiâ, cum versemur in rebus quae non solum cogitationem, sed imprimis usum vitae respiciunt, affirmatione generica non contentus per expositionem sequentem ad particularia quoque descendit, ut ratio pecuniarum ex incertitudinis dubio statutis pro diverso casu in normam suffectis efficaciter expediretur atque modus procedendi pro singulis esset firmatus. Docemur igitur « novitium » primo probationis anno suam retinuisse pecuniam initio anni secundi magistro tradendam,¹⁰⁸ ita tamen uti tunc quoque custodiretur seorsum et separata administraretur, dum superato feliciter probationis periculo novitius tandem pleno jure admissus societati adscriberetur;¹⁰⁹ inde pecuniam membri cujusque transisse omnino in « opes Unionis »¹¹⁰ quarum oeconomica ratio decidenda solis sacerdotibus atque « capitulo » staret.¹¹¹ Humana fragilitate animadversa ne quid detrimenti caperet sumptus communes neglectu et fraude, congruis poenis delicta plectuntur.¹¹²

(b) vires seu activitas hominis rectificetur ad normam *divinae perfectionis in agendo*;

(c) usus pecuniae rectificetur ad normam *consilii justitiae divinae*.

In linea versionis MILIK qui *primum* incisum (« a ») intelligit *concrete* de fidelitate monachi erga statuta divina [cfr. notam 104] tota pericopa interpretari posset ita — quod tamen apud neminem legi — ut singula incisa (« a » et « b » et « c ») respiciant in concreto *statuta* seu « *observantiam regularem* » Unionis Qumranensis. Quo in casu vertendum esset fere ita :

(a) « *in fidelitate erga statuta Dei* »

(b) « *per vitam regularem perfectam* »

(c) « *in congregatione justorum* »

Et forsitan ista duo interpretationis tentamina ad mentem Qumranensium virorum non tantâ ab invicem ratione separantur quantâ hodie mentibus nostris apparet.

¹⁰⁸ IQS 6, 20; מִנְקָר (cfr. etiam 6, 12) hîc e contextu Latine convertimus vocabulo *magistri*; valet tamen cautela *Eph Carm* 9 (1958) 395, nota 14 jam expressa.

¹⁰⁹ IQS 6, 17.19.22.

¹¹⁰ הָיוּ יוֹרֵר, IQS 7, 6.

¹¹¹ De jure sacerdotum in pecuniaria re vide IQS 9, 7 (« filii Aharon »); de jure « capituli » (i.e. coetus omnium qui plene et perfecte membra instituti esse censentur) vide IQS 5, 2-3; quomodo haec jura et sacerdotum et capituli componenda sint non est nostrum hîc enucleare.

¹¹² Paragraphus contra fraudem et mendacium in re pecuniaria legitur IQS 6, 25; WERNBERG, *Manual* p. III, n. 75 (ad locum hunc) remittit ad locos Documenti Damasceni 9, 12 et 14, 20 et ad Lev 5, 1, quos « parallelos » putat; hunc locum autem cum Act 5, 1-11 quodammodo cohaerere negat contra SH. E. JONSON, *The Dead Sea Manual of Discipline and the Jerusalem Church of Acts*, in ZAW 66 (1954) 108.

Contra neglectiorem bonorum in detrimentum Unionis agit IQS 7, 6-8 ubi quidam interpretes clausulas « *restituat in caput ejus [= in integrum]* » et « *si manus sua non perveniat ad id restituendum, punietur 60 diebus* » intelligunt ita quasi damni reus e proprio peculio, soluto pretio, damnum sarcire teneretur, ex quo movetur difficultas contra « paupertatem » monasticam singulorum. At contra dicendum est *primo* in genere sanae criticis esse non ea quae aliunde

Habemus ergo in Regula hac, «paupertatem» quod attinet, legislationem sat completam quae principia statuit et insuper singulis providere casibus non omittit. Quae communis bonorum possessio ad constitutionem Instituti pertinuit tam necessario, ut ipsum a Regula «Unionis in doctrina et in opibus» nomine insigniretur.^{112a}

b) Exposito «paupertatis» seu «vitae communis in re pecuniaria» usu, cogitationem nunc quaerimus. Neque una ratione nec eventu eodem sub coelo diverso diversis temporibus ab alio et alio coetu similia vitae genera temptata et singulorum bonis in commune redactis in praxim deducta sunt. Nostra aetate praesertim, praeter *religiosam* quam vocamus *paupertatem*, duo hujusmodi vitae conamina ob oculos habemus et : alteram praediorum possessionem communem quae *kolkhoz* vel *sovkhos* Russorum lingua dicitur atque supremo communistarum imperio solet imponi, et alteram quae hodierna Hebraeorum lingua *qibbûš* vel *quvšâh* appellatur atque ceteris vitae generibus hodie a multis in civitate Israëli viventibus sponte praefertur.¹¹³ In quibusdam haec tria vitae communis genera — monasteria, inquam, *kolkhozy* et *qibbušim* — pecuniariam rem et sumptus quod attinet, non tam inter se differunt quam cohaerent; cogitatio autem, ex qua vel hoc vel istud vel illud procedit, est hîc et ibi et illic toto coelo diversa; nam monachi Deum cum quaerent, pecunias et lucra terrestria spernunt; communistae cum divitibus invident, de aequatione bonorum philosophantur et maximum lucrum commune intendunt; viventes in *qibbušim*, Judaicâ re integratâ, cum perfectissimae vitae propositum in optima civitate sibi animo fingunt, communi navitate colunt fundos avitos.

De ratione qua moti Qumranenses ascetae bonis abdicaverint privatis non una est peritorum sententia, quamquam omnes concedunt id factum non esse, ut inde majora oeconomicae rei emolumenta caperentur, sed religionis obtutu. Sunt etenim qui dicunt non ipsam «paupertatem

jam certa sunt aliquo dubiae interpretationis loco postea inficere, sed e contrario ea quae dubia sunt in luce eorum quae aliunde jam certo sciuntur interpretari; et *secundo* in specie verbum *שלם* non necessario neque unice significare solutionem pecuniae, sed etiam quamcumque «retributionem debitam», ut actione «retribuendi» confecta habeatur iterum *שלום* i.e. *pax* Hebraico sensu seu *status rei integer*. Prolatae ergo paragraphi sensum ita proponimus : damni reus labori ordinario addat laborem, ut damnum resarciat; quod si praestare non potest, puniatur tempore statuto.

^{112a} IQS 5,2.

¹¹³ De *qibbušim* et *quvšôt* (ita enim plurali numero sonant) notitiam bonam et compendiosam invenies apud K. SCHUBERT, *Israel, Staat der Hoffnung* (Stuttgart 1957) pp. 58-63.

religiosam » — qua talem, seu in se ipsa consideratam — a Qumranitis esse quaesitam, sed potius illos sua bona in commune redegisse, ut perfectissima esset *vita communis*,¹¹⁴ et sunt qui e contra attribuunt huic instituto *ipsius paupertatis desiderium flagrans*,¹¹⁵ quae sententia, opinamur, forsitan illis praeferenda videbitur qui legerint in Regula versum illum psalmi finalis in quo ab auctore cantatur :

« et mammon iniquitatis non desiderabit anima mea »¹¹⁶

vel audiverit ex initio ultimae columnae, quasi naturam esse pravorum, ut sint

elato spiritu, loquentes mala verba, *opes possidentes*.¹¹⁷

Et in « regulis pro viro prudenti » [vel « pro instructore »] perhibetur haec prima :¹¹⁸

« Odium aeternum contra¹¹⁹ viros interitūs¹²⁰ in spiritu occultationis,¹²¹ ad relinquendum illis opes et laborem manuum,

¹¹⁴ *Vitam communem* esse « finem ultimum » etiam paupertatis religiosae Qumranensium virorum putat v.gr. SH. H. JOHNSON [cfr. notam 112]. Ad hanc sententiam trahendus forsitan etiam VERMÈS, *ms* p. 51 ubi sub titulo « *De vita communi* » affirmatur documentum IQS aliter ac Documentum Damascenum exigere '*communismum absolutum*' — de paupertate religiosa ibi non fit quaestio.

¹¹⁵ Ita major, quod sciam, numerus auctorum. Cfr. v.gr. BRAUN, *Radikalismus* I 36-37 et O. CILLMANN, *The significance of the Qumran Texts for research in the beginnings of Christianity*, in JBL 74 (1955) 215-216; item A. DUPONT-SOMMER, *Nouveaux aperçus sur les Manuscrits de la Mer Morte*, Paris 1953, p. 181; — sat caute hac de re paupertatis et vitae communis cum inter se comparat Essenos, « Damascenos » et « Qumranitas » agit cl. G. MOLIN, *Söhne des Lichtes*, pp. 211-212.

¹¹⁶ רַחֵן מַמְוֹן, IQS 10, 19; quamquam ipsa vox « mammon » in Regula non nisi semel (6, 2) legitur, cum ceteris locis usurpetur hoc sensu vox tamen placuit Latine convertendo hoc *mammonis* vocabulo uti propter notissimum Evangelii locum (Lc 16, 9.11) de mammona iniquitatis.

Ex aliis locis IQS eruitur (ut recte affirmat BRAUN, *Radikalismus* I 36) hoc quoque loco enuntiatum de « mammona iniquitatis » non esse intelligendum de pecunia *injuste acquisita*, sed de *pecunia* uti tali seu per se jam *injusta* si ab homine privato appetitur.

¹¹⁷ IQS 11, 2.

¹¹⁸ IQS 9, 21-23.

¹¹⁹ עַם, incipit linea 22.

¹²⁰ אֲנִישֵׁי שָׂרֵת, quorum vita est corruptio, quorum finis interitus (Ph 3, 19); de εϑυμο et sensu nominis שָׂרֵת vide lexica.

¹²¹ בְּרִיחַ סֵתֵר; ab omnibus fere peritis hunc locum interpretantibus incisum supra dictum ad « prudentem » trahitur cui in hac pericopa normae traduntur quasi his verbis viro prudenti injungatur « *spiritus occultationis* » eo sensu, ut observet « *disciplinam arcani* ».

Unus — quoad novimus — A. DUPONT-SOMMER, *Nouveaux aperçus ...* [cfr. notam 115] p. 181 incisum hoc ad *perversos* trahit et vertit סֵתֵר Gallice « ca-

sicut servus dominanti super se et subditus coram superiore¹²² suo ».

Recte nobis videtur index a cl. DUPONT-SOMMER huic loco positus : « Odisse opes ». Revera, quis haec meditatus non cogitabit de mente et animo eorum qui se « *pauperes Yahweh* » consideraverunt atque ideo in ipsa paupertate (aeque ac in humilitate, de qua — id quod posteriori debet relinqui tractationi — in IQS quoque frequens fit sermo) viderunt « religiosum valorem »?

Cum insuper in Regula praescribatur, ne ullus Qumranita ullo modo communicetur opibus illorum qui sunt perversi¹²³ vel apostatae,¹²⁴ haec duae cogitationes mutuo connexae apparent quasi radices « paupertatis » in Qumranensi asceterio : et idea « *pauperum Yahweh* » quorum spes tota Deo innititur, et idea *separationis* a mundo perverso et opibus ejus.

Quae cum ita sint, et legi paupertatis apud Qumran vigenti « *motivum*, uti ajunt, *supernaturale* » deesse negamus.

3. *De coelibе vita*, antequam oratio e confragosis disputationum locis in portum ducatur, pauca dicendum. Ante omnia statim admittimus in Regula non inveniri ullum locum qui explicito praescripto asserat illis qui apud Qumran asceticae vitae dederint nomen esse vivendum « sine ulla femina, omni venere abdicata ».¹²⁵

Attamen, his solis res judicata non est, nam :

1) deficit in IQS vel minima ad uxores, familias, prolem allusio;
2) nulla apparet in IQS lex quae culpas in matrimonio forte commissas tangit et punit;

3) nullus in IQS alius umquam respicitur modus incrementi Unionis quam admissio « novitiorum » qui ' ab extra ' sperabantur esse venturos;

4) a quibusdam hîc insuper ponderantur haec duo, quod nempe puritatis legalis cultus apud Qumrân esset talis qui coitum cum femina certo praecluderet, et quod tota vitae Qumranensis temperatio talis esset quae non nisi difficillime cum familiari videretur vita posse componi.

chette » (latibulum) et explicat spiritum *occultationis* in sensu « *thesaurizationis* » (i.e. spiritus qui eo tendit ut in latibulis thesauros accumularet) quod optime cohaeret contextui, nam locum ita intelligendo hîc versus se refert ad perversos qui pecuniis inhiant et versus sequens agit de justis qui opes ultro relinquunt.
¹²² מרייה, incipit linea 23 ; inde ab « *opes et laborem...* » sequimur versionem מרייה.

¹²³ IQS 3, 2 ; 5, 14 ; 9, 8.

¹²⁴ IQS 7, 24-25 ; 8, 23.

¹²⁵ Celeberrima Plinii verba proferimus de Essenorum vita loquentis in suo opere cui est index *Naturalis Historia* V, 17.

Quamvis ad finem jam properemus, ad singula quaeque adnectere liceat pauca.

Cum paulo ante scriberemus, nullo in loco Regulae inveniri vel minimam allusionem ad veneream rem, nos non fugerat illud restituendi conamen quo cl. Brownlee¹²⁶ lacunam initialem hujus ms explere temptat scribendo « Haec sunt statuta pro tota communitate, inclusa prole et uxoribus », nec ignoramus פְּרִיֹת זֵרַע (quod ad pedem litterae conversum sonat *fructus seminis* et IQS 4, 7 inter praemia eorum ponitur qui recto spiritu ducuntur) a nonnullis proferri quasi prolis spem probaret et contrahenda matrimonia. Novimus quidem utrumque, et respondemus breviter :

a) Restitutionis lacunae initialis conamen supra laudatum, quamvis initio a multis interpretibus Regulae acceptata fuisset, postea tamen a plerisque desertum est cum gratis assereretur, nullo positivo fundamento innixum.

b) Binae voces פְּרִיֹת זֵרַע non necessario *prolem* significant; sed ideae sat diversae duobus his vocabulis potuerint dici: ex vi nominum possent enim significare fructus 'seminis' (sensu colectivo) in agraria re; vel incrementum spirituale membrorum in Unione, eo vel magis quod ipsa Communitas « plantationis aeternae » sibi nomen imposuerit;¹²⁷ vel etiam ab ipso Regulae auctore 'fructus seminis' (in sensu numerosae prolis humanae) ex illorum temporum mente et animo inter bona eschatologica tam necessario computatus est, ut omnibus bonis hominibus — et illis qui cum uxoribus in terris essent copulati, et illis qui sine femina caelibes vixissent — aequali ratione promitteretur;¹²⁸ vel tandem 'fructus seminis' translata significatione de spiritali prole¹²⁹ numquam deficienda intelligi possit.¹³⁰

Ad puncta quae paulo superius sub (2) et (3) sunt relata tantummodo

¹²⁶ BROWNLEE, DSD p. 6 (versio), p. 6-7 (nota 3), p. 47-48 (Appendix A).

¹²⁷ « Plantatio aeterna » : IQS 8, 5 et 11, 8; isti duo (fructus agri et fructus vitae spiritualis) pro interpretatione possibili proponuntur v.gr. BRAUN, *Radikalismus* I 40, nota 1.

¹²⁸ Ita WERNBERG, *Manual* p. 79, n. 23, ad IQS 4, 7.

¹²⁹ Hujus explicationis mihi venit in mentem, cum primum legi apud quandam interpretationem in sensu *prolis humanae* — postea vero « meam » ideam legi apud D. BARTHÉLEMY, O.P., qui publici juris fecerat *Notes en marges de publications récentes sur les manuscrits de Qumran* in RB 59 (1952) 203.

¹³⁰ Tamen mens nostra inter haec interpretationis conamina sat anceps haeret. Hoc tamen certum autumo: sola verba « fructus seminis » non sufficere quominus inde affirmetur matrimonium in usu fuisse apud viros qui hanc Regulam professi sint. Similiter e Germanico vocabulo *Ordensnachwuchs* (i.e. *progenies Ordinis*, qua voce designantur postulantes novitii, fratres a professione juniores) forsitan aliquis deduxerit viros religiosos in conventibus Germaniae esse matrimonio junctos, cum in documentis de « eorum prole » sit sermo.

dicam hoc unum: quod omnis legislatio et dispositiva et punitiva deficit in IQS circa ea omnia quae quocumque modo tangunt matrimonium, eo vel magis notetur cum in mss affinibus — uti sunt verbi gratia tum Documentum Damascenum seu Sadoqita cum Regula Congregationis (IQS^a) — et de uxoribus et de prole et de educatione et de quibusdam hac in re culpis sermo non deficiat.

Quod ultimo loco posuimus rationes duas, non tam imperiti sumus rerum, ut eas solas rem non evincere ignoremus; sed tamen, si ceteris argumentis addantur, has quoque rationes spernendas non esse censemus.

Conclusio

Verba in arctum compingens brevi sermone concludam cum ea constringo quae praeteritis paginis fusius posui.

Regulam Communitatis seu Manuale Disciplinae manu volventes, conspeximus religiosum Mosaici foederis institutum cujus in eo constitit ratio, ut Deum singula quaerent membra et Ejus voluntatem pro norma haberent; quae quidem voluntas eis pervia fit, cum scrutantur Scripturas, cum observant statuta, cum praesulibus oboediunt. Quod vitae genus, sub ductu sacerdotum, abdicatis opibus et — quod reri liceat — Venere missa, « perfectum » aestimatur ac, signaculo jurisjurandi quasi religiosa professione interveniente firmatum, stabiliter durat usque ad mortem et antonomastice dicitur foedus aeternum.¹³¹

Qumranense asceterium Christianis monachis non juxtaponimus, non comparamus, non mutuos impulsus videmus, sed mente devota nos

¹³¹ Curiositate non carent sequentes notitiunculae duae: 1) *Professio religiosa* in antiquissima formula nobis tradita Coptice ab ejus auctore Shenute vocatur *δαθήκη* i.e. *foedus* qua voce Shenute non utitur nisi ad haec tria significanda: foedus Sinaiticum, foedus Novum, professionem religiosam. Cfr. D. BARTHÉLEMY, *Notes ...*, RB 59 (1952) 206 et notam 5 ibidem, ubi indicatur editio textus Shenute curata a J. LEIPOLD, *Texte und Untersuchungen*, NF 10, fasc. 1, p. 195 sq.; 2) *Monachi professi* ab Aphraate, primo teste monachismi Christiani in regionibus Mesopotamiae, atque ab aliis qui inde a primis litteris Christianis Syrorum sermone scripserunt, vocantur *bny qymh*, i.e. *filii foederis*. Cfr. BARTHÉLEMY, *Notes ...*, RB 59 (1952) 206; WERNBERG, *Manual* p. 49, n. 38, ad IQS I, 16 hanc notitiam e Barthélemy profert, sed ibi in proelum error irrepsit cum vocabula Syriaca Syriacis litterarum formis repraesentantur; legitur enim apud eum *byy* pro *bny*; cfr. A. PENNA, *Il reclutamento nell'essenismo e nell'antico monachesimo cristiano*, RQ 1 (1958/59) 358, qui remittit ad E. BECK de hac re plura locutum in duobus studiis quorum indices sunt *Ascétisme et Monachisme chez Saint Ephrem*, in *L'Orient Syrien* 3 (1958) pp. 273-298 (praesertim pp. 276-288) et *Bnay qyâmâ bei Ephrâm*, in *Studia Anselmiana* 38 (1956) pp. 261, 262.

inclinamus ante viros qui suo tempore pro humano modulo pie vixerunt, ac reverenter claudimus volumen quod, post saecula multa recenter inventum, alte testatur — ut scripsimus alio loco¹³² — de conatu Deum quaerendi et inveniendi sincero et bono.

Linz an der Donau, 1959

FR. SUITBERTUS A S. IOANNE A CRUCE, O.C.D.

¹³² RQ I (1958/59) 440.